~~MS Lat 100~~

et statuit eum super pinnam. quod non est mirum si se permisit circumportari a diabolo. qui permisit se in
cruce levari a membris diaboli. Alii dicunt quod duxit eum per viam usque ierusalem. quod videtur velle
lucas qui dicit. et duxit eum in sanctam civitatem. et ascendere super pinnam sicut et alii homines. que fuit
urbana temptatio postquam regressus est a deserto. et venit in civitatem. Iste homo dicitur magister
demoniorum qui dominum temptavit. Mos architecture est in palestina tecta desuper plana fi
non cacuminatur. Similiter templum salomonis factum erat planum desuper. et in giro
cancelli deambulatorii. ne qui incauti inde laberentur. et erat ibi sedes doctorum. ut inde
loquerentur populo in superposito. Cancelli dicuntur illa in giro muralia. ut inde prospiciant homines.
Unde cancellarii dicuntur qui hinc sermonem ad populum de mandato [hole]at regis vel impera-
toris. qui solent in cancellis predicare. Cancelli dicuntur similiter [hole] vel fenestre. de quibus
prospiciuntur. Ideo duxit eum super pinnam templi cum vellet de vana gloria temptare. que ibi in i
cathedra doctorum multos deceperat. et ideo putavit et istum positum in cathedra ma-
gisterii. in vanam gloriam extolli posse. Si filius dei es. Iterum explorat cum dicit. si
filius dei es et cetera. et temptat ut dicit. mitte te deorsum. Stulta fuit persuasio quod filio dei dicit.
mitte te deorsum. Rectius enim [hole] diceret. si filius dei es ascende in celum. quod si faceret. fi
verum filium dei comprobaret. Sed diabolo convenit. ut in precipitium ire commoneat. Scriptum
est enim quia angelis suis et cetera. auctoritate scripture christus se defendat. et auctoritate scripture diabolus persuadet
peccare. Sed notandum prius. Ait enim scriptura de quolibet bono homine. quod dominus angelis suis sicut minis-
tratoriis spiritibus precepit. quod in manibus suis id est in gratiis suis extollant bonum hominem. et ita custodiunt
ne offendat pedem id est affectum mentis ad lapidem id est veterem legem scriptam lapideis tabulis. Non temptabis.
Notandum quod ista verba ad diabolum non sunt directa. Sic enim dicta sua temptavit. quod se dominum non i
manifestavit. Sed a moyse supra scriptum est in deuteronomio. qui dicit cuilibet homini. dominum deum tuum.
Non enim debemus temptare dominum quamdiu habemus. quod rationabiliter faciamus. sicut abraham de uxore.
quam sororem vocavit. Sed postquam necessitas ingruit. tunc debemus dominum vocare. et petere quod ne-
cessarium est. Sicut filii israel ad mare rubrum. et non petebant non cum temptatione. sed confidenter.
Cum temptatione petebant filii israel cum dicerent. Numquid poterit deus parare mensam nobis in deserto. et si
fuerit mora te deprehendimus. ponat totum in voluntate dei. non ereptionem suam in [illegible]
videtur vitale. sicut quatuor pueri in chamino ignis. temptare dominum est. si perpetuum se dare.
cum descendere possit. sicut et alii homines. Iterum assumpsit. Temptatur de avaritia in montem fi
ducit. qui superbia non in sui divinarum. et quia ab imo semper alta sunt petit. Et ostendit illi omnia
regna mundi. vel simpliciter illo suggerente totus mundus ab eo visus dicitur. vel mundane vani- i
tate pompe sibi exposite. dicentis talia et talia sunt regna mundi. nec est peccatum concupiscen- –
tia dominum habere in mente sine cupiditate. sicut videmus medici solent genera morborum sine lesione. fi
quia omnia committit intuendo cum ea deus possit donare. sicut saul et david. et multos alios. Ipse enim non
potest dare aliquid in mundo. nisi quantum deus permiserit. Si cadens. vide cadit qui eum adorat. Ecce
superbia diaboli antiqua. Sicut enim in principio voluit se deo similem facere. ita nunc vole- –
bat divinum cultum sibi usurpare. Vade sathana. id est adversarie qui creatorem iubes
adorari. Satanas enim adversarius interpretatur. Non ut plerique putant condempnatur petrus eadem
sententia qua satanas. Petro enim dicitur. vade retro me satanas. id est sequere me. qui es contrarius
voluntati mee. Hic vero additur. vade satana. et non additur retro me ut petrus. ut possis intelligere i
in ignem eternum qui paratus est et cetera. Hoc tamen auctoritas est in deuteronomio. Ubi moyses cla-
mat omni homini. dominum deum tuum adorabis. quod non te debeo adorare. quia moyses prohibuit
idolatriam. Queritur cum dicat illi soli. an servitus regis vel alterius hominis prohibeatur; fi

HARVARD COLLEGE LIBRARY

1

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 292, (seq. 1) – Commentaries on Matthew IV, 3-V, 22 (https://fragmentarium.ms/view/page/F-rpfm/1264/16934)